STATVTA,

ET DECLARATIONES CIRCA EA, QVÆ AD REGIMEN, ET GVBERNIVM PERTINENT.

CONSTITVTIONVM DISCALceatorum Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum.



ACTA IN COMITIJS GENERALIBVS, quæ in Cœnobio Sanctæ Cæciliæ, Opidi de Ribas, vndecimo Calendas Iunij, Anni Dñi millesimi sexcentesimi quadragesimi noni celebrata fuerunt, in quibus canonice electus fuit in Vicarium Generalem totius dictæ Recolectionis P. N. Fr. Frãc. à S. Ioseph. Præsidente P. N. Fratre Petro ab Angelis.

IESVS, MARIA, IOSEPH.

QVONIAM non solum ea, quæ ad vniuscuiusque personæ in singulari, sed etiam quæ ad communem statum, & gubernium pertinent optimis legibus stabilire, & ordinare, æquum semper, & apud omnes congruũ visum fuit. Hoc tantum Diffinitorium postquam circa ea, quæ ad cuiuslibet Religiosi in particulari spiritualem profectum aliqua vulgari sermone prelo mandãda; vt ab omnibus facillimo negotio percipi valeant, statuit, & decreuit; iam iã in hac secunda parte circa ea, quę ad communem Religionis statum, & gubernium spectant, sequentia obseruanda decernit, & præcipit.

§. I.

CIRCA DIFFINITORIVM Generale, & Prouinciale.

1 DEclaramus nomine Diffinitorij Generalis, & Prouincialis ad examen legitimationis vocalium ante electiones, necnõ controuersiarum decisionem circa ipsas solùm intelligi, Diffinitores, & Pater Vicarius Generalis, & Prouinciales, seu Vicarij Prouinciales, qui per electionem officium obtinuerint, nõ verò alij vocales Capituli, vt in proximo præcedenti Capitulo Generali declaratum fuit.

2 Item decernimus pęnam grauissimæ culpæ in nostris Constitutionibus, dist. 2. cap. 11. §. 1. relatam, esse intelligendam pęnam grauioris culpæ, vt declaratum fuit in proximo præcedenti Capitulo Generali. Et additur, quòd Consiliarij omnes Conuentus, necnon Secretarij in quolibet Conuentu eligendi à Prouincialibus, iurent fidelitatem, & secretum circa ea, quæ fuerint cum ipsis tractata, & ad gubernationem, vel bonum Religionis pertinentia, & eodẽ modo iurent Diffinitores seruare secretum, & Secretarij, tàm Genera-

les, quàm Prouinciales, & Procuratores Romanæ Curiæ, & Regiæ; in cuius obseruantiam præsentibus Generalibus commitijs iurarunt omnes vocales, tàm superiores, quàm inferiores.

3 Item decernimus, vt in prima sessione Capituli Generalis, & Prouincialis, qui præest, imponat vocalibus omnibus præceptũ inscriptis, vt si aliquod impedimentum legitimum, scilicet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quòd probari possit notoriè, in aliquo vocali reperiatur, à quolibet, qui illud sciat, ante Diffinitorium declaretur; illo verò probato, expellatur à Capitulo, qui tale patitur impedimentum, prout in præcedenti Capitulo Generali decretum fuit.

4 Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis, quòd scilicèt, ante electiones Vicarij Generalis, & Prouincialis, qui præest, absoluat vocales omnes absolutione ad cautelam modo præscripto in nostris Constitutionibus, cap. 21. in fine, dist. 2.

5 Item confirmamus statutum Capituli Generalis proximè præcedentis, quo decernitur, vt post electionem Vicarij Generalis, qui post illum præest in Capitulo, possit præcepto formali obedientiæ obligare, vt electus Vicarius Generalis acceptet officium, si iurare recusauerit, et si post impositum præceptum iurare nolluerit, electio sit nulla. Iuramentum autem præstandum à Patre Vicario Generali electo, idem esse debet, quo Prouincialis electus iurat, & habetur in Constitutione, cap. 8. dist. 2.

6 Item confirmamus statutum Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo decernitur, vt si Vicarius Generalis, post acceptam sui officij gubernationem, vellit illud dimittere, & renuntiare, si renunciatio fiat intra Capitulum, à toto Capitulo Generali debet acceptari, si ad id rationes suppetant: si verò prædicta renuntiatio fiat extra prædictum Capitulum à Diffinitorio vtriusque Prouinciæ, videlicèt Conceptionis in Vvandalia, & Sancti Iosephi in Regno Castellæ per vota decisiua acceptari debet. Non est autẽ necesse, quòd prædicta Diffinitoria simul congregentur, sed vnumquodque in sua Prouincia renuntiationis prædictæ causas examinet, & dictus Vicarius Generalis renuntians determinet Diffinitorium, quod primò examinet, an acceptanda sit dicta renuntiatio, vt possit expensis rationibus illius remittere, quæ decreuit, & rationes decreti ad aliud Diffinitorium, & subscribant suffragantes in dicta renuntiatione Vicarij Generalis, & quamuis acceptetur renuntiatio, non expiret officium Vicarij Generalis renuntiantis, quo ad vsque congregetur Ca-

Capitulum Generale, in quo præsideat: tempus autem necessarium ad dictam Congregationem relinquitur arbitrio vtriusque Diffinitorij.

7 Item confirmamus decretum Capituli Generalis proximè præcedentis, quo statuitur, vt si Prouincialis renuntiare contigerit, prędicta renuntiatio acceptetur à Diffinitorio suæ Prouinciæ; priùs tamen moneatur, & expectetur consensus Vicarij Generalis, circa acceptandam dictam renuntiationem, absente verò dicto Vicario Generali, & intra viginti dies ad Prouinciam non adueniente, neque mittente, qui in Diffinitorio Prouinciali, loco illius præsideat, congregetur Diffinitorium, in quo Pater Prouincialis renuntians assideat, sine voto tamen in ordine ad admittendam renuntiationem; cùm iam proprium expræsserit, & admissa renuntiatione prædicta in electione Vicarij Prouincialis succedentis habeat votum, cum Diffinitoribus, & Procuratore Prouinciæ. Etsi aliquis ex his defuerit, nec monitus aduenerit in tempore à Diffinitorio assignando pro dicta electione, electio sit valida cum præsentibus.

8 Item confirmamus Decretum Capituli Generalis, proximè prę cedentis, quo statuitur, vt quidquid in Diffinitorio Generali, & Prouinciali, siue intra, siuè extra Capitulum decidendum proponitur, priùs consulatur in voce, & expendantur rationes incipiendo à Diffinitoribus in professione minùs antiquis, vsque ad Præsidem, ita tamen, vt vno loquente alius non loquatur, & posteà decidatur per vota secreta, scilicet per schedulas, vel per calculos aluos, & nigros. Juxta formam rei decidendæ.

9 Item confirmamus Decretum Capituli Generalis, proximè prę cedentis, quo statuitur, vt processus, & causæ iudiciales Religiosorum tradantur à Vicario Generali, & Prouinciali transactis suis officijs, & Prouinciales, sub formali præcepto sanctæ obedientiæ, teneantur de illis facere inuentarium, & Diffinitorio Prouinciæ tradere, ex cuius consensu causæ, quæ asseruari debent, seruentur sub claui in loco securo, & quæ rescindi comburantur. Et idem faciat sub eodem præcepto formali obedientiæ Pater Vicarius Generalis respectu causarum, quæ ad Prouincias pertinent. Et addimus, quòd nullus Prælatus, quamuis sit noster Pater Vicarius Generalis, possit rescindere, comburere, aut delere processus, aut schedulas, aut quodlibet scriptum, quod ad aliquam Religiosorum causam pertineat, aut pertinere possit, nisi talis processus, schedulæ, aut scripta, spectent ad Religiosum, qui iam vita excessit.

10 Item confirmamus Decretum Capituli Generalis, proximè

præ-

præcedentis,quo ſtatuitur,vt ad recipiendos iterum Nouitios ab habitu noſtro expulſos,præter examen, & informationem à Conuentu faciendam, etiam requiratur conſenſus Diffinitorij Prouinciæ , ſine quo habitus non tradatur. Neque alterius Ordinis Religioſi , etiam noſtræ obſeruantiæ,ſi ſuffragia Conuentus primò non conuenerint, ad habitum poſsint admitti in alio Conuentu , ſed iterùm in eodem proponi poſsũt,vt admittantur,& non vltra. Et idem fiat cùm omnibus,qui habitum noſtrum poſtulauerint, qui ſemel in alio Conuentu dimiſsi,in alio non recipiantur.

11 Item cõfirmamus Decretum Capituli Generalis proximè præcedentis, quo ſtatuitur, vt hæreditates , aut bona , quæ fratribus iure paterno,aut materno , aut quovis alio titulo debentur; ad Diffinitorium cuiuſcunque Prouinciæ pertineant, abſque conſenſu communitatis,iuxta præuilegium ampliſsimum Iulij Tertij , & Gregorij Decimitertij.Quo Præpoſito Generali,vel Capitulo, ſeu Congregationi Generali,Societatis Ieſu conceditur , & nobis per participationẽ, vt poſsint diſponere de rebus Conuentus , abſque conſenſu communitatis, ad quam pertinent , maximè cùm prædictorum adiudicatio, ſeu diſpoſitio non ſit alienatio bonorum Conuentus , ſed non acquiſitio. Et addimus,quòd vltimæ voluntates Religioſorum ante profeſsionem in ſuo robore permaneant, ſicut de iure debent obſeruari; vt autem bona,quæ Diffinitorio proueniunt,ſecurè cuſtodiantur, fideliterque expendantur , decernimus , vt pro cuſtodiendis pecunijs ex prædictorum bonorum venditione , ſit archa duabus obſignata clauibus,quas duo ex Diffinitoribus , pro nutu Prouincialis eligendi obſeruent,& liber,in quo ſcribatur computum dati,& accepti ex prædictis bonis.

12 Item confirmamus Decretum Capituli Generalis.Quo ſtatuitur,vt poſſeſsiones Conuentus,redditusque, & bona quæcunque , ſiue immobilia, ſiue prætioſa mobilia, nulli liceat Ordinis noſtri vendere,aut alienare,aut aliquo modo commutare , ſine licentia inſcriptis Diffinitorij Prouinciæ, & de conſenſu maioris partis illius Conuentus, ad quem pertinent illa bona , & ſic concordamus duo capita noſtrarum Conſtitutionum,videlicet 18.& 26.diſt.2.Inſuper idem præcipimus obſeruari in conferendis Patronatibus Conuentus , aut Sacellis Eccleſiæ,aut alienandis,ſepulchris perpetuis,quæ ſunt in Sacello maiori. Prælati autem Conuentus , contra prædicta facientes pœnæ ſuſpenſionis ab officio,per ſex menſes ſubiaceant:præter conſenſum verò maioris partis Conuentus; exigimus etiam Conſiliariorum iudicium de conuenientia,aut diſconuenientia , circa prædicta, quod debet Diffinitorio manifeſtari.

12 Item

13. Item confirmamus Decretũ Capituli Generalis, proximè præcedentis; Quo toto Capitulo consentiente abrogatur clausula, cap. 24. dist. 2. qua dicitur: Statuimus, ne Prælatus, etiam de sui Capituli Prouincialis consensu, possit librum aliquem alienare, sub pœna priuationis ab officio, per vnum annum.

14. Item confirmamus Decretum septuagesimum Capituli Generalis proximè præcedentis, quantum ad partem eius, &c. Decernimus, vt ad priuationem Commendatoris, & acceptandam renuntiationem officij eiusdem, & ad eligendum alium de nouo (& idem est de reliquis vocalibus Capituli Generalis, & Prouincialis, excepto Vicario Prouinciali, cuius electio, præter Diffinitores exigit Procuratorē Prouinciæ) & ad expellendum Religiosum professum ab habitu, vel ad pœnam aliam grauissimam infligendã, non possit se solo procedere Pater Prouincialis, nisi cum quatuor Diffinitoribus Prouinciæ, & voto eorundem consultiuo, & decisiuo, aliter sint nullæ omnes, & singulæ sententiæ, acceptationes, electiones, aut priuationes prædictæ; non obstante cap. 18. dist. 2. & alijs nostrarum Constitutionum, quæ à toto capitulo fuerunt derogata, quod debet etiam obseruari a nostro Patre Vicario Generali, quantũm ad electiones prædictas, sed in ordine ad causas iudicandas, circa prædicta Pater noster Vicarius Generalis posit iure ordinario, cum voto decisiuo duorum Diffinitorum procedere; quin egeat voto decisiuo, quatuor Diffinitorum, vt iure Constitutionis ad ipsum pertinet; nisi in causa expulsionis: de qua, si in prima instantia cognoscit, cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum procedere debet: si verò per appellationem; aut recursum cum voto decisiuo quatuor Commendatorum. Si autē ad Patrem nostrum Vicarium Generalem, per appellationem; aut recursum pertineat cognoscere de causa iudicata a Prouinciali; & quatuor Diffinitoribus, si sit intra Prouinciã, vbi de prædictis causis agitur, teneatur iudicare cum voto decisiuo duorum Commendatorum eiusdem Prouinciæ (excepta causa expulsionis ab habitu, in qua, vt prædicitur, debet procedere cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum, aut Commendatorum.) Si verò sit in aliena Prouincia, cũ voto decisiuo duorum Diffinitorum illius Prouinciæ, in qua assistit; & declaramus prædictum Decretum, quantum ad Prouincialem, tã in ordine ad electiones faciendas, quàm in ordine ad causas iudicandas, cum voto decisiuo quatuor Diffinitorum vim habere Constitutionis, vtpotè per tria Capitula Generalia approbatum; & eandem vim habet Constitutionis, quantùm ad electiones faciendas a nostro Patre Vicario Generali, cum voto (vt dictum est) eorundem quatuor

De-

Diffinitorū: & in causa expulsionis ab habitu: secùs autem quantùm ad alias causas iudicandas; quarum forma denuò stabilitur, abrogata illa, quæ in prædicto Decreto Capituli Generalis præcedētis tradita fuit. De electione autem Diffinitorum, qua ratione fieri debeat; stabilitur infrà in Decreto 21. §. circa Diffinitores.

15 Item cōfirmamus Decretum Capituli Generalis proximè præcedentis. Quo stabilitur, vt in secundo anno triennij Capituli Prouincialis in qualibet Prouincia (hoc est in die Omnium Sanctorum) congregētur Prouinciales, & Diffinitores, in domo à Prouincialibus designanda, vt omnium Conuentuum rationes, & bonorum computum exquirant; & Commendatorum renuntiationes acceptent, vel dimittant; in qua congregatione, si Pater Vicarius Generalis, in eadem Prouincia fuerit, teneatur assistere, & præsidere; si verò sit absens, & de Præsidente dicti Congregationis, intra viginti dies admonitus, non prouiderit, Prouinciales, & quatuor Diffinitores congregentur, & omnia circa prædicta exequantur; & denuò additur, quòd Pater noster Vicarius Generalis pro suo libito possit anteponere, vel postponere, per spatium vnius mensis prædictum Capitulum intermedium. Circa Capitulum autem Prouinciale constitutioni standum est, dist. 2. cap. 6. §. *Præsertim rursus.*

16 *Const.* Item cōfirmamus declarationem factam per duo Capitula Generalia immediatè præcedentia, circa cap. 36. nostrarum Constitutionum; vbi explicatur, quòd non recipiantur alterius Ordinis professi, nisi per Capitulum Prouinciale; nomine verò Capituli Prouincialis, intelliguntur Prouincialis, & quatuor Definitores Prouintiæ, in qua tales Professi ad habitum nostrum recipiuntur; quæ Constitutio extenditur, etiam ad Religiosos Calceatos nostri Ordinis admittendos, per suffragia Diffinitorij, à quo debet assignari dictis Religiosis Calceatis locus antiquitatis attenta eorum ætate, litteris, & qualitatibus. Quæ declaratio vim Constitutionis habet.

17 *Const.* Item confirmamus Decretum per duo Capitula Generalia approbatum, quo statuitur, vt omnes nostræ familiæ Commendatores in vniuersis Prouincijs exequātur statutum Patronatus Excellentissimi Ducis Metinæ Sydoniæ, ab omnibus Capitulis Generalibus approbata, quibus pro dictis Dominis tenentur singuli Sacerdotes, quoties Capitulum Generale fit, duas Missas celebrare, & quilibet Conuentus, vnam cantatam defunctorum, cum Vigilia, & Responso, quod Decretum vim iam obtinuit Constitutionis.

18 *Const.* Item confirmamus Decretum duorum Capitulorum Generalium proximè præcedentium, quod iam vim habet Consti-

tue

tutionis, quò attentis eximijs beneficijs in nostram collatis Recollectionem, ab Illustrissimis Dominis Comitibus del Castellar; statuitur pro dictis Dominis perpetuis temporibus, quoties ex hac vita migrauerint, fiant in omnibus Monasterijs nostræ familiæ solemnes Exequiæ cum Vigilia, & Responso, & Missa; & denuò illis applicamus disciplinas Conuentuales, ieiunia, & alia pia opera à Religiosis in vna hebdomada; à Monialibus verò per vnum mensem exhibéda.

19 *Const.* Item confirmamus declarationem Capituli Generalis proximè præcedentis, qua decernitur Capitula Generalia, perpetuò esse celebranda, seruata alternatiua, in Prouincia sancti Ioseph; & Conceptionis, respectiuè, & Secretarium Patris Vicarij Generalis ab altera, ex ipsis Prouincijs esse summendum diuersa scilicèt ab ea, cuius est Pater Vicarius Generalis: ita vt si sit ex Prouincia Conceptionis, debet Secretarius esse ex Prouincia S. Ioseph, & è conuerso: quæ duo ante præcedens Capitulum vim obtinuerunt Constitutionis, & circa præcedentiam in Capitulo confirmamus declarationem eiusdem Capituli præcedentis, scilicèt, quòd Diffinitores cuiuscunque Prouinciæ debent præcedere Procuratores, & alios.

§. II.

CIRCA DIFFINITORES.

20 ITEM Confirmamus declarationẽ proximi Capituli Generalis, qua dicitur, quòd vacat Diffinitoris officium per absentiam sex mensium à sua Prouincia; si talis absentia fiat, sine consensu Diffinitorij eiusdem Prouinciæ, & si per vnum annum in infirmitate continua impeditus Diffinitorio assistere nequeat; si verò Diffinitor aliquis absens fuerit, intra propriam Prouinciam, & monitus intra quindecim dies ad Diffinitorium, extra Capitulum non veniet, loco vnius absentis ad casum occurrentem Diffiniendum succedat, qui in ea Prouincia Vicarij Generalis munus obtinuit; quodsi fuerint plures ille, qui in dicto officio tempore pręcessit, & his deficientibus, qui Prouincialis, aut Vicarij Prouincialis, per electionem eodem ordine officiũ gessit, & deficiente hoc, qui Diffinitorijs in præcedenti Prouinciali Capitulo, siue extra Capitulum munus obtinuit, seruato inter Diffinitores ordine professionis, & his omnibus deficientibus succedat Commendator Conuentus, in quo Diffinitorium celebratur, & insuper addimus, quòd in electione Diffinitoris, quæ fit à Prouinciali, prædictum, debet obseruari: secus autem si electio

fiat assistente P.N. Vicario Generali, quia in hoc casu electio vacatis Diffinitoris, fieri debet à Prouinciali, & tribus Diffinitoribus solùm, quia electio Diffinitoris vacantis facienda est per vota decisiua quinque solùm vocalium. Et denique declaramus, quòd si aliquis ex nominatis antiquior, vel ratione dignitatis, & officij, vel ratione professionis, vt in Diffinitoribus contingit, absens fuerit, dummodò vltra sex leucas non distet, ad talia decernenda, eius aduentus expectādus est; & ipse admonitus intra duos dies aduenire teneatur, quod si intra duos dies à sua monitione non venerit, alter ordine prædicto succedat, & sic de reliquis.

21 Item confirmamus Decretū Capituli Generalis proximè præcedentis; quo statuitur, vt Diffinitores canonicè eligantur per maiorem partem electorum; hoc est per excessum dimidiæ partis omnium suffragantium, & electores in vna schedula, quatuor nomina Diffinitorum eligendorum scribant, & sic censeantur electi, qui vltra dimidiam partem suffragiorum aliquem excessum habuerint.

22 Item confirmamus Decretū Capituli Generalis proximè præcedentis, quo statuitur; rationes dati, & accepti, quas Commendatores ad Capitulum Prouinciale deferunt, & visitationes omnes legantur, & examinentur ante electionem Diffinitorum, in eodem Capitulo eligendorum.

23 Item confirmamus declarationem in Capitulo Generali proximè præcedentis factam scilicèt, quòd Diffinitores, præter suffragia Patris Vicarij Generalis, Prouincialis, Diffinitorum, & Commēdatorum, etiam eligendi sunt à Procuratore Prouinciæ, cum in nostra Constitutione exprimatur, quòd procedat ab eisdem, à quibus processit Prouincialis, neque obstat, quod dicitur cap. 12. & 17. dist. 2. Quod Procuratores solùm habeāt vocem in electione Vicarij Generalis; non autem in alijs actibus Diffinitorij, quia hoc solùm excludit Procuratorum suffragium ad electiones, & decisiones, intra Diffinitorium solùm faciendas. Et insuper addimus ad tales electiones Diffinitorum in Capitulo faciendas, requiri votum, & suffragiū Magistri domus Nouitiorum, sicut etiam ad electionem Prouincialis, sicut habent Commendatores.

24 Item confirmamus declarationem in dicto Capitulo Generali proximè præcedenti factam, scilicèt, quod in omnibus electionibus, tam Diffinitorum, quam aliorum vocalium Capituli Generalis, & Prouincialis, si in Prouincia abfuerit Pater Vicarius Generalis, debeat, & non sit ei liberum suffragari: si verò absens fuerit, antequam ad prædictas electiones procedatur, debet consuli circa illas.

25 Item

25 Item confirmamus Decretũ, eiuſdem Capituli Generalis proximé præcedentis, quo ſtatuitur, quòd Diffinitores etiam electi in Capitulo Prouinciali, ſi per duos annos continuos officium nó exerquerit; iterum poſsint eligi in Capitulo immediatè ſequenti ad eorũ electiones; ſi verò aliquis Diffinitor extra Capitulum eligatur, & per duos annos continuos officium exerquerit, eligi non poteſt in Diffinitorem, in Capitulo Prouinciali immediatè ſequenti, ad eius electionem, ſicut decernitur cap. 9. diſt. 2. de Vicario Prouinciali.

26 Item confirmamus Decretũ Capituli Generalis proximè præcedentis, quo decernitur, vt Diffinitores Prouinciæ, Vicario Conuẽtus non ſint ſubiecti, niſi ille in Conuentu præſideat, neque in Capitulo Conuentuali dicti Vicarij teneantur aſsiſtere; niſi dictus Vicarius præſideat, vt dictum eſt.

27 *Conſt.* Item confirmamus Decretum Capituli Generalis, & per proximum antecedens confirmatum, quo ſtatuitur, vt ſimul eſſe non poſsit aliquis Secretarius, & Diffinitor, vel èconuerſo, & declaramus cum officio dicti Secretarij eſſe incompoſsibile officium Commendatoris.

§. III.

CIRCA P. N. VICARIVM GENERALEM.

28 ITEM Confirmamus declarationem factam à Capitulo Generali proximé præcedenti, qua decernitur, quòd Pater Vicarius Generalis, non ſolùm in Capitulo Generali, in quo finit officiũ, ſed neque in Capitulo Prouinciali aliquod officiũ obtineat, niſi quatuor annorum ſpatio mediauerit, poſt munus Vicariatus Generalis, vt ſic à labore ſuo quieſcat. Et denuò additur, quòd qui Prouincialis munera functus fuit, non poſsit per ſpatium anni & dimidij à tempore ſui officij aliquod officium inferiùs Prouinciali latu obtinere.

29 Item confirmamus declarationem a proximo præcedenti Capitulo Generali factam, qua decernitur dictum Patrem Vicarium Generalem, non ſolùm intra, ſed extra viſitationem, prout ſuæ prudentiæ benè viſum fuerit, poſſe in Prælatorum miniſteria ſe immiſcere, & ſemper tenere inferiores Prælatos ibi obedire, & hanc poteſtatem, etiam declaramus, poſſe ſuis delegare Commiſſarijs.

30 *Conſt.* Item confirmamus Decretum, per duo Capitula Generalia immediatè præcedenti approbatum, quod vim habet Conſtitutionis; in quo ſtatuitur, vt vacante per mortem Vicariatu Generali,

si, eius Secretarius moneat statim Prouincialem Prouinciæ, ex qua fuerat dictus Vicarius Generalis, vel si non sit Prouincialis, Vicariū Prouincialem, qui adiunctis secum Diffinitoribus, & Procuratore Prouinciæ, per secreta suffragia eligant Presidentem Generalem, qui Recolectionem gubernet, & conuocet ad Capitulum Generale, post sex menses à morte dicti Vicarij Generalis cælebrandum, in Sabbato primo sequenti. Si autem in Præsidentem Generalē eligatur Prouincialis, aut vice Prouincialis, idem electores, a quibus processit, Præsidens Generalis eligant Vicarium Prouincialem, qui Prouinciam gubernet, vsque ad Capitulū Generale, & in eo dictus Vicarius Prouincialis habeat in omnibus electionibus, & decisionibus vocem, & & sedem; & si fortè Prouincialis, cui successit Vicarius Prouincialis, prædictus eligatur in Vicarium Generalem: Vicarius Prouincialis vocem habeat in electione post Capitulum Generale facienda de nouo Vicario Prouinciali; si verò Prouincialis prædictus non eligatur in Vicarium Generalem, Vicarius Prouincialis illius in prædicto Capitulo Generali vocem, & sedem habeat, post ipsum Prouincialē; si autem aliqua mutatio fiat circa Prouinciam Siciliæ, succedat Vicario Generali defuncto, qui in Cōstitutione designatur, cap. 2. dist. 2. & intra quadraginta dies congregetur Capitulum Generale, neque tunc nominetur, aut eligatur Vicarius Prouincialis.

31 *Const.* Item confirmamus Decretum per duo Capitula Generalia approbata, quod vim habet Constitutionis, in quo statuitur, vt si aliquod tempus ab electione Vicarij Generalis, vsque ad Vigiliam Pentecostès immediatam interuenerit, non cōputetur ad sexenium Vicarij Generalis, quod incipit à dicta Vigilia Pentecostès.

32 *Const.* Item confirmamus Decretum, per duo Capitula Generalia approbatum, quod vim habet Constitutionis; in quo præcipitur sub præcepto formali sanctæ obedientiæ Prælatis, tam inferioribus, quàm superioribus, & Religiosis omnibus, vt processus, seu alia scripta ad officium, seu bonum Religionis spectantia, quæ morte Patris Vicarij Generalis fuerint relicta, nullus extraat, neque accipiat, neque legat; vt autem hoc integrè seruetur facto inuentario a Commēdatore Conuentus, in quo dictus Vicarius Generalis decessit, vel cōmorabatur, vel vbi prædicta asserbauantur (cuius inuentarium faciēdo assistere debent duo Diffinitores actuales ex antiquioribus, vel illis deficientibus duo immediatè præcedentes, vel in horum defectu duo Religiosi, ex antiquioribus Conuentus, qui cum Commendatore subscribāt.) Cella claudatur, & addatur in ea noua clauis, siue aliud genus ferreæ, seræ, pro custodia securiori; & denuò additur, quòd tale

le inuentarium processus, seu causæ nouo Præsidente Generali electo duobus Definitoribus existentibus, & subscribentibus tradatur; & idem fiat respectiuè respectu Prouincialis, vel Vicarij Prouincialis cito eligendi.

33. Item compromisit hoc sanctum Diffinitorium in Patrem nostrum Vicarium Generalem, quòd statuat, & ordinet, quæ ad bonũ regimen, & gubernationem Prouinciæ Sancti Raymundi in Regno Siciliæ necessaria, & conuenientia iudicauerit, tàm circa communẽ modum viuendi, quàm circa electiones, & habilitandas personas in ordine ad illas dispensando in hoc, quod vna persona plura officia, quibus anexa sit vox in Capitulo, habere possit; & denuò in aliud sine limitatione promoueri valeat, & omnia alia etiam ad statuta generalia in hoc Capitulo determinata cócernentia pro suo libito exequendo, etsi opus fuerit mutando, vel addendo. Et quæ ab ipso sic ordinata, & disposita fuerint, exnũc protunc approbat, & cõfirmat.

§. IV.

CIRCA PROVINCIALEM, ET VICARIVM PROVINCIALEM.

34 ITem confirmamus declarationem Capituli Generalis, proximè præcedentis, scilicèt, quòd cum in nostra Cõstitutione tẽpus professionis Prouincialis eligendi variè declaretur, nam cap. 8. dist. 2. exigitur, quòd per duodecim annos ad minùs sit in professione antiquus; & cap. 15. eadem distinctione, quòd habitus professorũ decimum habeat; decisioni dicti capitis octaui standum est.

35 *Const.* Item confirmamus declarationem dicti Capituli Generalis, proximè præcedentis circa cap. 9. dist. 2. nostrarum Constitutionum, in quo decernitur, quòd Vicarius Generalis, vacante officio Prouincialis, possit se solo eligere Vicarium Prouincialem, quod debet intelligi ad dictum Patrem Vicarium Generalem pertinere nõ eligere, sed nominare Gubernatorem Prouintiæ pro tempore, quo ipse abfuerit, nam postquam venerit in Prouinciam dicti Prouincialis vacantis debet Vicarium Prouincialem eligere, cum voto decisiuo quatuor Diffinitorũ. Quòd cùm per tria Capitula Generalia fuerit approbatum, vim obtinet Constitutionis; & denuò addimus cum Capitulo Generali, proximè præcedenti debere etiam in hac electione Vicarij Prouincialis suffragari Procuratorem Generalem Prouinciæ. Si verò intra sex menses Pater Vicarius Generalis in dictam

Pro-

Prouinciam venire non possit, nominet Præsidem ad prædictã electionem Vicarij Prouincialis, & eam dicti suffragantes, & Præsos exequantur. Vicarius autem Prouincialis à solo Patre Vicario Generali nominatus, non appelletur, nisi Præsidens Prouincialis.

36 Item confirmamus decretũ Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo statuitur, vt quoties Pater Prouincialis, vel per absentiam à Prouincia, vel in firmitatem Vicarium Prouincialem instituit, talis Vicarius Prouincialis, Præsidens Prouincialis nominetur; & quo præcipitur dictis Prouincialibus, vt cum limitatione facultatẽ tradant dictis Præsidentibus Prouincialibus circa visitationes Conuentuum, & licencias Conuentualitatis, & licencias ad confessiones excipiendas, & prædicandum, nisi in aliquo vrgenti casu.

37 *Const.* Item confirmamus declarationem à duobus Capitulis Generalibus proximè præcedentibus approbatam, quæ vim habet Constitutionis, qua dicitur, vt Pater Vicarius Generalis, Prouinciales, & Visitatores solùm summant pro expensis itineris de elemosinis Missarum Conuentus visitati, non vero de alijs pecunijs eiusdem Conuentus.

§. V.

CIRCA ELECTIONES.

38 ITem confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo stabilitur, vt omnes electiones, quæ circa plures versantur, fiant per schedulas, in quibus scribatur nomen eligendi, quas schedulas Secretarius Capituli omnibus suffragantibus consequat, & nulli ex vocalibus liceat alijs schedulis suffragari, nõ obstante cap. 3. dist. 2. §. *Vt autem ex litteris*. Reprobatio autem, aut approbatio, quæ circa aliquod singulare versatur, fiat per calculos albos, & nigros, vel per duas schedulas, in quorum altera ad reprobandum scribatur, littera R. & altera ad approbandum, littera A.

39 Item confirmamus declarationem à Capitulo Generali, proximè præcedenti factam, scilicèt, quod cùm panis, & aqua vocalibus ministrari præcipitur in nostra Constitutione, cùm inter se non conueniant circa electionem Prouincialis, & idem est circa electionem Patris Vicarij Generalis id intelligi debet, iuxta cap. 3. dist. 2. (cuius meminit cap. 8. vbi prædictum præcipitur) videlicèt si intra duos dies se inuicem conformari noluerint, circa electiones prædictas.

40 Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præce-

cedentis, vt scilicét si prima, & secunda vice nō fiat electio per scrutinium, publicentur in Diffinitorio suffragia, quæ in illis duobus scrutinijs fuerint tributa circa aliquas personas.

41 *Const.* Item confirmamus decretum Capituli Generalis proximè præcedentis, quód ab alio immediato Capitulo Generali fuit stabilitum, & vim habet Constitutionis, quo statuitur, vt in ambitiosis, & suffragiorum solicitatoribus, non solùm exequantur pœnę expresse in Constitutione cap. 15. dist. 2. sed etiam illæ, quæ a Clemēte VIII. fœlicis memoriæ infliguntur in decretis pro reformatione Regularium approbatis à sacra Congregatione Regularium, & innouatis ab Vrbano VIII. quibus decernitur, vt directé, vel indirecté, sibi, vel alijs suffragia procurantes, priuationem officiorum, quę obtinent, ipso facto incurrant; necnon inhabilitatem ad futura officia, super quibus, nisi a Summo Pontifice dispensari non possunt, & easdem pœnas incurrant complices dictorum ambitiosorū, & scientes, & non reuelantes.

§. VI.

CIRCA PROCVRATOREM ROMANÆ CVRIAE.

42 ITem confirmamus declarationem Capituli Generalis, proximè præcedentis, qua dicitur, quód officium vocalis cuiuslibet, siué pertineat ad Capitulum Generale, siué ad Prouinciale, statim vacet, si in Procuratorem Curiæ Romanæ eligitur, & dictum munus Procuratoris acceptet, qui prædictum officium habebat. Prædicto veró Procuratori Curiæ Romanæ plenam potestatem concedimus ad tollendas irregularitates apostatarum; & eosdem habilitandos ad Sacramentorum administrationem, præter ea, quę illi conceduntur, cap. 5. dist. 2. nostrarum Constitutionum.

43 Item confirmamus declarationem factam à Generali Capitulo, proximè præcedenti, qua dicitur, quód cum in nostris Constitutionibus, cap. 4. & 5. dist. 2. decernitur, quód Pater Vicarius Generalis non possit ab officio Procuratorem Romanæ Curiæ reuocare, nisi in Capitulo; nomine Capituli, intelligendum est Diffinitorium illius Prouinciæ, ex qua assumptus est dictus Procurator.

CIRCA COMMENDATORES.

44 ITem confirmamus decretum à proximo præcedenti Capitulo Generali ſtabilitum, quo ſtatuitur, vt Commendatores negligentes circa ſoluenda debita à ſuis prædeceſſoribus relicta, vt iubetur cap.18.§.*Commendatores omnes*, diſt.2. pœnę priuationis, aut ſuſpenſionis iuxta grabitatem negligentiæ, irremiſsibiliter plectantur.

45 Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo præcipitur omnibus Commendatoribus, & Rectoribus Conuentuum, & Collegiorum noſtræ Recollectionis, vt ad dimidium triennij faciant ſuorum officiorum renuntiationem in Diffinitorium Prouinciæ, illamque remittant cùm ratione domus & computũ bonorum, & pecuniarum, & nominibus ſuorum fratrum Conuentualium, vt eorum renuntiationes admittantur, vel non admittantur; prædicta autem teneantur remittere ante feſtum omniũ Sanctorum, cum litteris directis pleno Diffinitorio, quas illud, & non alius ſuperior Prælatus ſub formali præcepto ſanctæ obedientiæ audeat aperire, abſcondere, aut detinere.

46 *Conſt.* Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis, & alterius immediatè antecedentis, quòd vim habet Conſtitutionis, quo ſtatuitur; vt nullus Commendator, aut eius Præſes poſsit præceptum formale Sanctæ obedientiæ, vel cenſurã Communitati imponere, abſque expreſſa licentia inſcriptis Patris Vicarij Generalis, aut Prouincialis. Quæ licentia nota ſit Communitati, ante præceptum, vel cenſuram imponendam.

47 *Conſt.* Item confirmamus decretum per duo Capitula Generalia approbatum, quod vim habet Conſtitutionis, quo ſtatuitur, vt Commendator, qui per tria triennia officium exerquerit, in dictum munus Commendatoris ad aliud triennium non eligatur; & addimus, quòd illi, qui per nouem annos continuos ſuffragium obtinuit in Capitulo Prouinciali, non poſsit iure ſuffragandi potiri ad aliud triennium, niſi de ſpeciali conſenſu Patris noſtri Vicarij Generalis, & inſtante neceſsitate, quæ illius arbitrio relinquitur iudicanda.

48 *Conſt.* Item confirmamus decretum per tria Capitula Generalia, proximè præcedentia, iam approbatum, & ante hoc Capitulum vim Conſtitutionis obtinuit; quo ſtatuitur, vt nullus Commendator, ſeu Præſes Conuentus ſub præcepto formali ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ per

tres annos possit consumere eleemosynas Missarum in quacunq; specie pecuniæ; si verò sint in alijs speciebus, sub pœna suspensionis per quatuor menses, quin pro prædictis eleemosynis Missarum satisfecerint, & solùm permittitur expendi vsque ad centum argenteos, & non amplius. Etsi in aliquo Conuentu Missarum eleemosynę superfuerint, ita vt difficilè possint satisfieri; teneatur Commendator, seu Præses sub pœna suspensionis, ab officio minimè relaxanda Cōmendatori per quatuor menses; Præsidi verò sub pœna priuationis vocis, & loci per alios quatuor menses infligenda, monere Prouincialem, vt quid sit faciendum determinet.

49 *Const.* Item confirmamus decretum per duo Capitula Generalia, proximè præcedentia approbatum, quod vim habet Constitutionis; quo statuitur, vt Præsidentes Conuentus non possint absque licentia Prouincialis, aut sui Commendatoris aliquid ex bonis Cōuentus consummere, nisi tantùm pro sustentatione, & victu Religiosorum; & Commendatores ad Capitulum deferant inuentarium rerum mobilium sui Conuentus, subscriptum nomine proprio, Depositariorum, & Præsidis, qui illi succedit. Prædictum autem inuentarium maneat etiam transcriptum in Conuentu, teneaturque Præses nouo tradere Commendatori. Quòd si in prædicto inuentario faciendo, & in computo dati, & expensi falsa narraberit, Commendator arbitrio Diffinitorij secundum qualitatem culpæ puniantur ipse, & Depositarij, nisi fuerint coacti à Commendatore aliqua subscribere in re graui, quæ vera non sunt, & in hoc casu teneantur monere Depositarij Diffinitorium Prouintiæ, sub pœna incarcerationis per duos menses, & culpa Commendatoris probata voce actiua, & passiua, & loco per vnum annum priuetur.

50 Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo statuitur, vt Commendatores etiam intra sex menses proximiores Capitulo Prouinciali, possint per Diffinitorium à suis officijs priuari, nec solùm propter causas in Constitutione, cap. 18. dist. 2. expressas, verùm etiam propter alias legitimas ab ipso Diffinitorio examinādas: Qui verò fuerit priuatus, etiam intra dictos sex menses careat, sicut officio, iure suffragandi in Capitulo.

51 Item confirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præcedentis; quo stabilitur, vt ante quadraginta dies proximiores Capitulo Generali, aut Prouinciali, fiant preces pro recta directione Vocalium, & Capituli successu, quod seruent semper Commendatores quamuis litteræ conuocatoriæ non remittantur.

52 Item cōfirmamus decretum Capituli Generalis, proximè præ-

cedentis, quo præcipitur, vt præter Magistrum Nouitiorum, semper sint Consiliarij domus, qui Vicarij Generalis munus obtinuerint, vel illis deficientibus, qui Prouincialis, vel Vicarij Prouincialis per electionem munere sint functi; attenta proportionaliter suorum officiorum precedentia, & prioritate; & his deficientibus, qui Diffinitores aliquando fuerunt, antiquioribus in professione præcedentibus. In Conuentu veró, vbi non inueniuntur Consiliarij enumerati, assignentur alij à Prouinciali in principio sui officij, non autem excedant numerum ternarium Consiliarij, nisi fuerint actuales Diffinitores. Et denuo addimus; quòd absoluté sit Consiliarius Conuetus Magister domus Nouitiorum, & statuimus, quòd habeat votum in Capitulo Prouinciali, eo modo, quo illud habent Commendatores, & eius electio in Capitulo fiat à Diffinitorio Prouinciali, & extra Capitulum à Diffinitorio Prouinciæ.

§. VIII.

CIRCA REDEMPTIONEM, ET REDEMPTOREM.

53 ITem decernimus, vt pecunias, & bona quæcunque ad Redemptioné spectantia intra quatuor menses, omnia, & singula Monasteria Prouinciæ Sancti Ioseph, teneantur remittere ad Conuentũ Sanctæ Barbaræ Matritensis, & quæ sunt in Prouincia Conceptionis, ad Conuentum Sancti Ioseph Hispalensis; & qui in Prouincia S. Raymundi Nonnati, ad Conuentum Panormitanum, qui dicitur de *Molle*. Curent autem Patres Prouinciales summa diligentia prædicta exequi, & in prædictis bonis adseruandis, seruentur, quæ in nostra Constitutione, pro illorum custodia stabiliuntur; dist. 1. cap. 20. & pœnę ibi assignatæ contra negligentes irremissibiliter infligantur.

54. Item decernimus, vt Redemptor, qui nunc est in Prouincia Sicula S. Raymundi, & futuris temporibus est eligendus, habeat votũ in Capitulo Prouinciali, sicut Procuratores Prouinciarum, & sedem post Diffinitores, quia concordia innita circa Redemptionem cum Reuerendissimo P. Generali Calceatorum; solum fuit facta circa Redemptores Prouinciarum S. Iosephi, & Conceptionis; & electio prædicti Redemptoris Syculi pertineat ad Capitulum Prouinciale; & extra Capitulum, ad Diffinitorium Prouinciæ.

§. IX.

§. IX.

CIRCA NOVITIOS.

55 *Const.* ITem confirmamus decretum per duo Capitula Generalia, proximè præcedentia approbatũ, quod vim habet Constitutionis, quo stabilitur, vt Nouitij in die ante Eucharistiæ sacræ Communionem, non suscipiant disciplinam, si dies ante dictam Communionem sit Dominica, vel alia excepta à disciplina; & præcipimus omnibus non Sacerdotibus, quod bis in qualibet Hebdomada sacram recipiant Eucharistiam; & similiter declaramus cum prædictis Capitibus Generalibus, quod nomine Nouitiorum in ordine ad disciplinas suscipiendas ante diem Communionis, non intelligantur professi, & minus Scholastici; qui sunt extra Domum Nouiciatus.

56 *Const.* Item confirmamus decretum per tria Capitula Generalia approbatum, quod vim habet Constitutionis, quo statuitur, vt si aliquis ad habitum recipiatur antequam eius informatio fiat, præstet iuramentum coram Prælato, & duobus Consiliarijs Conuentus, quod si aliquod impedimentum iuxta nostras Constitutiones, factis informationibus, occurrerit, patietur vltro ab habitu dimitti, & Prælatus exponat ante iuramentum conditiones, requisitas ad habitum nostrum gerendum.

57 *Const.* Item confirmamus decretum per tria Capitula Generalia approbatum, quod vim habet Constitutionis, quo statuitur, vt informationes Nouitiorum iudicentur à Commendatore, & Consiliarijs Conuentus, & quod sicut Sacerdotes Nouitij non habent votum in Capitulo, nisi post transactum annum à sua professione, vt decernitur, cap. 23. dist. 1. in Constitutione; idem intelligitur de illis, qui Diaconatus, vel Subdiaconatus Ordinem, ante receptionem habitus nostri, habuerint.

58 Item confirmamus decretũ Capituli Generalis, proximè præcedentis, quo statuitur, vt omnes Religiosi, Choro deputati, & denuo professi, quamuis sint Sacerdotes, sub obedientia, & subiectione sint Magistri Nouitiorum, vel Professorum, aut Studentium, per sexenium, etsi commode fieri potest intra nouitiatum commorentur; & in Religiosis Ordinandis omnino seruetur, quod in cap. 23. dist. 1. nostrarum Constitutionum stabilitur. Fratres verò obedientiæ subiecti, sint dictis Magistris per septennium, etsi fieri potest intra Nouitiatũ habitent, & semel in mense a Magistro cui subijciuntur exami-

minentur circa mysteria Fidei, & Vicarius Conuentus reliquos obedientiæ fratres, sibi subditos nullo excepto, ad prædictum examen congreget semel etiam in mense.

§. X.

CIRCA SCHOLASTICOS.

59 *Const.* ITem confirmamus decretum per duo Capitula Generalia, proximè præcedentia approbatū, quod vim habet Constitutionis, quo præcipitur Prælatis Collegiorum, & aliorum Conuentuum, in quibus Scholastici demorantur, vt actuales Scholastici, nō exerceant officia Ianitoris, Refectorarij, Procuratoris, aut Sacristæ, neque extra Conuentum mittantur ad quærendas eleemosynas, neque ad alia negotia peragenda, sine consensu Prouincialis, sub pœna suspensionis per quatuor menses irremissibiliter infligenda.

60 Item decernimus, vt scholastici post orationem mentalem vespertinam, matutinis precibus, & laudibus assistant; & post matutinas preces, per duas integras horas studijs incumbant, & alia exequantur, vt in instructione Collegiorum continetur.

61 Itē decernimus, vt in Collegijs Religiosi Sacerdotes non Scholastici, per dimidiam horam tribus in hebdomada diebus; scilicet Feria 3. 5. & Sabbato, moralis Theologiæ conferentiæ, sicut in reliquis Conuentus assistant, vt dist. 2. cap. 24. nostrarum Constitutionum exprimitur.

§. XI.

CIRCA ACTA, ET MANDATA.

62 ITEM Confirmamus statutū, & declarationem Capituli Generalis proximè præcedentis, qua dicitur, solum Capitulo Generali pertinere, quæ ad leges spectant, & Constitutiones nostras mutare, addere, vel minuere, & quia in nostris Constitutionibus exprimitur, quod sufficiat maior pars Capituli Generalis, vt in eodem Capitulo conferatur, quod ad mutationem, vel additionem Constitutionum pertinet: & non declaratur, an necessarius sit maior numerus Suffragantium, vt dicta decernantur, & Præses Capituli teneatur cōfirmare (toto Capitulo Generali præsente consentiente.) Statuimus,

&

& declaramus; quod ad mutandum in toto Constitutionem ad mores, & vitam communem nostram pertinentem non sufficiat maior pars Capituli, sed necessarium sit, quod nullus Vocalis dissentiant, neque à Summo Pontifice, sine prædicto consensu, posit a quoquam Bulla aliqua circa id impetrari, sub inhabilitatis perpetuæ pœna, ipso facto incurrenda. Ad minuendum, vel addendum aliquid, contra vel supra Constitutionem in ordine ad mores, necessarius sit consensus duarum partium Vocalium Capituli Generalis, quod si ex omnibus Vocalibus non constent tres partes æquales, vota quę supersunt, ad tres partes æquales non computentur, verbi gratia, si decem & sex sunt Vocales, duo partes ex his sunt decem, quæ sufficiunt ad prædicta decernenda, nam tertia pars æqualis dicti numeri sunt quinque Vocales; & superest vnus Vocalis, qui nō computatur. Et similiter si sint Vocales decem & septem, duæ partes æquales huius numeri sunt decem, & tertia pars quinque, & supersunt duo, qui non computātur. Si verò aliquid, non solùm in parte, sed in toto in Constitutionibus conueniat addere, vel minuere, vel omnino mutare, quod dumtaxat ad gubernationē pertineat; per duas partes æquales dicto modo quo supra, decernatur: ad interpretandum autem Constitutiones, siue ad gubernationem, siue ad mores pertinentes, sufficiant etiam duæ partes æquales Vocalium, modo prædicto.

63 Item confirmamus Decretū Capituli Generalis proximè præcedentis, quo præcipitur, vt nullum præceptum formale sanctæ obedientiæ, aut censura, à quocunque Prælato, etiam Patre Vicario Generali Communitati impositum, vim habeat ligandi, nisi imponatur in scriptis; exceptis censuris, & præceptis, quæ in Capitulis Visitationis, voce tenus imponi solent. Visitatores verò omnes facultatem non habeant aliquid mutandi, addendi, vel diminuendi, supra Constitutionem in his, quæ ab illa præscribuntur, & ad totam Communitatem attinent.

64 Item cōfirmamus Decretum Capituli Generalis proximè præcedentis, quo statuitur, vt mandata, & præcepta, quæ a Visitatoribus pro bono regimine Conuentuum, & Constitutionum obseruantia relinquentur in domibus visitatis, non expirent (exceptis censuris) etiā si defecerint Visitatorum officia, nisi prædicta mandata in vltima Visitatione relicta, in fine triennij, vel sexenij, a Visitatore sequenti denuò videantur, & si illa expressè non confirment, censeantur abrogata; mandata verò, & censuræ Prouincialis, aut Visitatoris eiusdem, in prima Visitatione relicta, vim habeant vsque ad secundam, eiusdem; in qua si non confirmentur maneant abrogata: & idem sit

de mandatis,& censuris Patris Vicarij Generalis; & eiusdem Visitatoris,in prima Visitatione relictis, respectu secundæ Visitationis.

65 Item cõfirmamus Decretum Capituli Generalis proximè præcedentis,quo præcipitur,vt acta Capituli Generalis, & Prouincialis, committantur duobus Diffinitoribus, respectiuè à Diffinitorio designandis,qui postquàm Prælato, & Præsidi Capituli disposita ab ipsis manifestauerint, & eadem in Diffinitorio legerint, & Diffinitorium approbauerit, à Secretario in libro Prouinciæ, aut Religionis scribantur,assistente saltem aliquo ex Diffinitoribus prædictis; quibus sub formali præcepto mandamus,vt nullum verbum addere, aut subtraere possint, postquàm in Diffinitorio Acta fuerint lecta, & approbata.

66 Item compromissit Diffinitorium in P. N. Vicarium Generalem,& Religiosos ab eo nominandos,vt in instructiones Nouitiorũ, & Collegiorum, & ea quæ ad gubernationem Hospitij Romani pertinent disponãt,& quę ab eis fuerint disposita,ex nunc,pro tunc Diffinitorium Generale approbat,& confirmat,& tanquàm præcepta illius obseruari præcipit.

67 Item compromisit in prædictum P. N. Vicarium Generalem, & Patrem Diffinitorem Generalem Prouinciæ Conceptionis fratrẽ Ioannem à sancto Isidoro, ea quæ ad gubernationem Monialium spectant,& ab eis disponenda ex nunc,pro tunc,approbat,& confirmat.

68 Item concessit Diffinitorium Generale Venerabili Patri fratri Gaspari a Regibus in Prouinciæ Conceptionis quondã Vicario Prouinciali; vt eius meritis attentis,fiant suffragia in eius obitu, sicut fiũt pro Patribus,qui Prouincialis munere functi sunt.

69 Denique de assignatione Conuentus, pro Capitulo Generali celebrando in Vigilia Pentecostes anni futuri millessimi sexcentessimi quinquagessimi quinti, fuit actum,& omnium Vocalium consensu fuit assignatum Cœnobium Corporis Christi, situm in Villa del Viso,propè Hispalim in Prouincia Conceptionis, si placuerit Excellentissimo Domino Duci Metinæ Sydoniæ, ad quem spectat iure Patronatus Generalis nostræ Recollectionis Monasterium pro Capitulo Generali celebrando nominare. Commitia Generalia hæc finita fuerunt tertiò Kallendas Iunij, anni Domini millessimi sexcentissimi quadragessimi noni, in hoc almo Cœnobio sanctæ Cœciliæ, Villæ de Ribas, Toletanæ Diœcesis; quæ omnia cum omnibus, & singulis Decretis huius sancti Capituli,& Diffinitorij Generalis; cędant in maiorem Dei gloriam, eiusque purissimę Matris Virginis Mariæ Dominæ,ac Patronæ nostræ, necnon santissimi Patriarchæ

Pa-

Patris nostri sancti Petri Nolasco,& Diui Iosephi Deiparæ Sponsi, & aliorum Ordinis,& Ecclesiæ Sanctorum.

Fr. Franciscus à S. Iosepho, Vicarius Generalis electus.
F. Petrus ab Angelis.

Fr. Ioannes à Spiritu Sanct. Prou.
Fr. Didacus Sancti Pauli Diff.
Fr. Antonius à S. Francisco Diff.
Fr. Gabriel ab Incarnatione Diff.
Fr. Ioseph à S. Antonio Redemptor pro Prouincia Sicula.

Fr. Emanuel à S. Hieronymo Prou.
Fr. Ioannes à Sancto Isidoro Diff.
Fr. Ferdinandus à Sancto Ioseph Diff.
Fr. Ioannes à Sancta Cruce Diffin.
Fr. Franciscus à S. Ioanne Diff.

De mandato Patris nostri Vicarij Generalis, & Diffinitorij.
Fr. Ioannes à S. Maria, Secretarius Ordinis, & Capituli.

Sic cum suo originali concordant. Datum
Pridie Kalendas Iulij anno Dni 1637

Fr. Ioannes à S. Maria Secretarius